DE MELANOSI TENTAMEN INAUGURALE QUOD ... AUSPICE FRANCISCO...

Giuseppe medico Tibaldi (medico)



DE

MELANOSI

TENTAMEN INAUGURALE

QUOD

ANNUENTIBUS MAGNIFICO DOMINO RECTORE
ILLUSTRISSIMO FACULTATIS DIRECTORE, SPECTABILI D. DECANO
AC CLARISSIMIS D. D. PROFESSORIBUS

AUSPICE

FRANCISCO MARABELLI

CHEMIAE P. O.

UNA CUM THESIBUS DEFENDENDIS
PUBLICAE DISQUISITIONI OFFEREBAT
IN C. R. ARCHIGYMNASIO TICINENSI
MENSE AUGUSTI MDCCCXXXI

LAUREAM MEDICAM ASSECUTURUS

TIBALDI JOSEPH

EX TURRE MANGANI

Ticini Regii
EX TYPOGRAPHIA BIZZONI
I. R. Universit. Typograph.



2/64

[illegible]

Digitized by Google

DE MELANOSI.

Melanosis idem est ac *Melas icterus*, *Icterus niger*, *Melanchlorosis*, tot nomina, quae a graeco μέλας derivantia, nigrum sibi volunt.

De hocce jam jam morbo fit mentio apud veteres auctores; quae autem in eorum paginis notiones registrantur, nequaquam rationales et rectae videntur; prodeuntiaque phoenomena gratis ab illis nigrae bili ex venosi sanguinis praedominio, tribuuntur.

Ast Laennech, Brechet (1), Fawdington, Noacch (2), Vells, Anglada, Rostan, Rayer, melius

(1) Brechet, Considération sur une altération organique appelée: Degénéréscence noire et Melanose ecc. Paris in 8. 1831.

(2) Per Noacch praecipue, aliorumque observationes patet, equos quadam melanosis specie corripi, quod facile videre est ob maximam similitudinem, quae inter humo-

ingenii perspicacia huicce rei operam navando, luminosam morbi notitiam praebuere, ex quorum praecipue cogitamentis, pauca quae in mea dissertatiuncula relaturus sum, haurire putavi.

Melanosis est materia nigra, liquida aut solida, quae per accidens nonnullorum organorum in parenchimate et in superficie, cutisque speciatim deponitur.

Materiei morbosae depositiones in partium superficie, tribus praecipue sub schematibus occurrere solent:

I. Una, pluresve in superficie plagae nigrum exhibent colorem, interdum cutis undique nigra, quemadmodum in Aethiopibus advertitur; nulla licet ipsa in cuti, relate ad consistentiam et spissitudinem, alteratio observetur. Non autem nigritudo eamdem obtinet ubicumque intensitatem, sed passim veluti gradationes cernuntur. Non ex templo superficiem aliquam obvestit, sed ut plurimum progrediendo innotescit. « In opere quodam Amsterodami aedito (1), exemplum habemus

rem hominis et equi melanosico morbo affecti inest; latius haec registrantur in opere Noacobj ipsius: De melanosi cum in homine, tum in equis obveniente.

(1) Lecat: Traité de la couleur de la peau humaine. Amsterdam in 8.

» de nobili muliere, quae trigesimo aetatis anno » cum pregnans evaderet sequentia obtulit. Septi- » mo eunte mense, frons ejus fusco tingi colore in- » caepit, ac padetentim vultus, oculis labiisque » exceptis normaliter se se habentibus, totus nigruit. » Nonnullis diebus intensior, nonnullis minor niger » apparuerat color. Albissimus perdurabat truncus, » eo ut ex haebeno caput, onychino sustentum » collo diceretur. Matrona eadem nigris exorna- » batur capillis, quorum pars vix a capite binas » per lineas exiens crassior cernebatur, nec non » spisso succo repleta. Hujusmodi cruciatibus af- » fecta, nullo tamen caput vexabatur dolore, ad- » petitus erat optimus, et quod mirandum, facies » eo sensibilior fieri, quo magis nigrescebat. »

» Mira hàec nigritudo ex magna cutis perspi- » ratione, binas sub partu dies evanuit, et lintea » nigruerunt. Nullam infans coloris alterationem » passus fuerat. In altera ac tertia pregnatione » ipsum denuo. phoenomenon septimo currente » mensa occurrit; defecit octavo, et illius loco » convulsiones omnibus diebus accessionem per- » bibentes prodiere. »

Perplura hujuscemodi facta apud Vells, Angla- da, Chomel, Rostan, registrantur; quae inter hoc mihi dignum est visum, ut publicae mandaretur attentioni.

» Maria Francisca Glin, vidua Guillard sexa-

» gesimum tetigit annum, quin ullo afflictaretur » morbo. Unica erat illi filia, quae opificii gratia » duos proprios infantes maternae commisit curae, » cumque labe venerea infectos reperiisset, ma- » trem recriminare haud dubitavit. Ex tanta in » se conflata criminatione Vetula summopere moe- » ruit; animi angor deinceps culmen attinxit tunc, » cum natam una cum filiolis e fenestra se eje- » cisse audivit. Hujuscemodi eventos vere tristis- » simus sic in animum Vetulae egit, ut subsequa » die se ex integro nigrescentem reperoerit. Cor- » poris nigritudo gradatim intensitate augebat, ita » ut, nonnisi post decem et octo sub factu men- » ses perfectam nigritudinem adepta fuerit. Color » ater, licet uniformis videretur, minori vero in- » tensitate fruebatur in facie, in manuum vola, » in pedum planta, in inguinum mammarumque » duplicaturis; dum e contra pectus, mammae, » abdomen, magnopere nigricabant. Inferiores ar- » tus volomine erant adaucti, et cutis durities » haud digiti retinebat impressionem. Corpus foe- » dum pediculis scatebat, et organorum singula- » rium functiones harmonico peragebantur concen- » tu. Femina dumtaxat, cum summe meticulosa » evasisset, miserationem rogabat, ac nullimode » sibi mederi posse censebat. Peripneumonia gravi » in posterum correpta, dum in nosocomio *la* » *Salpetrière* degebat, sex post dies occubuit.

» Perdurante morbi curriculo color semper idem » mansit, et nonnisi sensibiter imminuit ex mor» tis instante ad cadaveris autopsiam, post viginti » quatuor horas institutam. Secata cuti, sub epi» dermide corpus reticulare illinitum atque ni» gra imbutum substantia lineae spissitudinem re» ferente conspiciebatur. Derma normalem praese» ferebat colorem; in cranii cavitate nil aderat » morbosi; in pectore laesiones utique, sed tan» tum relate ad pneumonitidis posthuma; in ab» domine nil fuit compertum, nisi viscera aliquan» tisper pallida excipi velint. »

Auctorum qui hunc nuperrime ostendere morbum, est observatio, nigritudinem hanc cutaneam aquisitam saepius in feminis, quam in maribus occurrere, ex materiei melanosicae in corpore reticulari depositione; neque confundi posse cum echimosibus amplissimis, nec cum viridescente fusco colore in nonnullis icteris occurrente, dum rite et accurate observentur coloris ipsius gradationes. Multo minus autem cum nigritie ex hydrargirii sulphureto, aut ex nitrate argenti; omnium primo ex caussa qua gignuntur, praeterea istis in casibus non niger, ast melius coeruleus color diceretur.

Haec cutis nigra coloramenta in graviditate prodeuntia interdum post partum evanescunt. Omnibus aliis in casibus, perquam obscura est eorum

aetiologia, et sanatio admodum incerta. Compertum quoque fuit Melanosim pneumonitidi, aut aliis phlogisticis conditionibus utplurimum consociari.

II. Baccae vel maculae melanosicae alteram depositionem materiei melanosicae magis frequentem, minusque obscurum casum constituunt. Cutis hic illic majori aut minori tumorum parvulorum copia sparsa conspicitur; quorum nonnulli quoad volumen et colorem juniperi baccas aequiparant, ac intus quoque nigrescunt. Si est Brecheto fides habenda, interdum tumores hi in reticulo malpighiano oriuntur. Melanosis autem, quae sub hac forma prodit in cute, pluribus et aliis in organis occurrit.

Disphoria universalis et lassitudinis sensus morbi initium designant, ita ut lectum petere aegri cogantur; musculi omnes segni corripiuntur inertia et magno stupore; ex quo prosternuntur vires, adpetitus desinit et somnus desideratur; diarrhoea cum vomitu deinde accedit, et hac illoc nigri tumores inter cutem exsurgunt, fere nullo plerumque spatio sejuncti, ac racemosum schema referentes. Partes quae saepenumero corripiuntur tumoribus hisce, sunt: pectus, mammae, abdomen, brachiorum, nec non coxarum interna pagina. Cutis quaa tumores inter libera extat, maculis

defoedatur. Eruptione peracta, perdurant lassitudo, vomitus, et diarrhoea; interdum aegrum tussis frequens quam maxime divexat, pulsus mollissimi micant, et perquam facile digito prementi cedunt. Omnia haec morbosa symptomata in dies ingravescunt, oedema generale adjicitur, ac mors subita necat. Per extispicium videre est, tumores cutaneos substantia omogenea plus minusve nigri coloris, et notabilis spissitudinis, mox pultis adinstar conflari. Tumores hi omnes, vel in cute ostenduntur, vel pene omnibus in partibus textus cellularis subcutanei; interdum in quadam cistide occluduntur, mox non. Textus cellularis vasa et glandulas lymphaticas obvestiens, mox tumoribus istis scatet, et nervos et vasa amplectendo coacervationes efformat mali communis magnitudinem referentes. Pulmones iisdem foedantur tumoribus, iis neque pleurae carent, atque mediastinum, epiploon, mesenterium, ac interdum omnia alia viscera abdominalis infestantur.

III. Tumores melanosici simplices aut compositi tertiam hujusce alterationis, et maximi momenti varietatem constituunt. Produnt et in omnibus corporis partibus, sed in manibus et plantis speciatim. Quoad volumen mox ultra nucis magnitudinem increscunt, nigri valdopere sunt; interdum omnem perhibent in superficie regularitatem, mox

sat inaequales sistunt. Ex nigra aut fusca struuntur substantia, opaca, absque odore, firma, tenaci, specie omogenea; et si abluatur aqua, fit fusca aut nigra, et textus amisso colore remanet uti griseus. Hi tumores cutem altarantes ex eadem nigra materie apissiori facta, efformantur; sed nec schirrosum textum, nec enkephaloidem simulant substantiam. Carent ex toto vasis accidentalibus, ac partes propinquas normali pollent conditione. Substantia vero melanosica serius mollescit, ita ut ex loco ubi residet, in partes propinquas effunditur; interdum sed perquam raro cutis illam tegens ulceratur. Dum haec substantia mollescit, parum in multiplicationem nisum ostendit.

Juxta Láënnechii observationes patet, viscera in quibus melanosis degit, haud dolore, neque sub pressione vexari. Et reapse mox nequaquam auspicata, in cadaveribus reperitur membranas mucosas et ganglia lymphatica speciatim varia sub formis infestando.

Tumores melanosici interdum efformantur ex melanosi, et ex textubus accidentalibus Carcinomatis propriis, quos Jariue (1) caneros antracicos nuncupatus est; qui tumores compositi, sicuti simplices prodant sub nigrissimae maculas sche-

(1) Alibert. Nosologie naturelle in 4.° Paris 1817.

mate, quae prompte in tumorem granosum elevatur. Post aliquod tempus, color niger in fuscum convertitur, tumor mollescit, ulceratur, et tunc morbus omnia carcinomatis ulcerati praesefert signa.

Ex praemissis liquet morbum hunc propriis signis diagnosticis insigniri, ex quibus si omnia ad accuratam trutinam subjiciantur, non adeo difficile eruitur ab aliis morbis differre, quibuscum confundi solebat, aut quorum varietas vel modificatio censebatur. Et haec praesertim ad Icterum videntur referenda, cui maxime persimilis morbus habebatur. Et reapse nonne schemata varia sub quibus se se offert melanosis, differentiam illius designant? Nonne in Ictero equabiliter flavo aut nigro cutis suffunditur colore, dum in melanosi interstitia maculis expertia advertuntur? Nonne tumores melanosici materie spissa aut fluida repleti, dummodo adsint, characterem morbi hujusce specialem statuunt? Caussae deinde et analysis chemica materiei melanosicae, uti infra videbimus, criterium fortasse dabunt, ex quo unus ab altero dispescatur morbo. Fatendum tamen, neque phoenomena supra recensita semper omnia, neque semper eadem occurrere; qua de re medicorum solertia studia sunt desideranda, quo major de hoc argumento lux nobis affulgeat.

Circa adfectionis melanosicae caussas non par-

vae hucusque adsunt tenebrae. Auctores qui hujusce morbi momenta diagnostica omni studio investigarunt, parvas, et nonnisi vagas aetiologicas referunt notitias. Ab exemplis vero hujusce morbi enarratis erui potest; feminae, caeteris paribus, magisquam mares dispositionem in hunc morbum ostendere, porro vitam daesem, aerumnas, defectum aut pravam alimentorum qualitatem, tot sistere morbi caussas. Ast hisce addendum, saepissime post animi angores diutinos, terrores et similia, melanosim observatam esse.

Sed quomodo singula aut omnia insimul enunciata momenta in organismum agere valeant, ut similis morbi forma se prodat; argumenta quae ad hoc investigandum sufficiant, adhuc desiderantur. Quid ergo statuendum, ut aliqua saltem inductione, melanoseos caussa proxima requiratur? De hocce argumento sequentia registrantur in diction. scient. medic. (1): « Cétte dégénérescence, comme toutes celles de cétte classe, est le résultat de la lesion des exhalans; c' est le produit d' une nutrition vicieuse et contre nature »

Verum ad aliquam lucem inter tenebras comparandum, notiones certiores circa caussas essent opus; secundo considerationi subjicere oportet

(1) Diction de scienc. medic. art. Melanose.

symptomata prodeuntia, et chemicum instituere substantiae melanosicae examen.

Secundum *Thenard*, nil in humore melanosico extat, nisi insignis carbonis quantitas; qui quidem plus, minusve fere in omnibus substantiis animalibus advertitur.

Nuperrime antem *Vauquelin* docet substantiam melanosicam constare,

Fibrina colorata;

Materie colorante subnigra in acido sulphurico diluto, nec non in sodae subcarbonatis solutione quam rubram reddit, solubili;

Parva albuminae quantitate,

Chlorureto sodae,

Sodae subcarbonate,

Calcis phosphate, et demum,

Oxydo ferri.

Qua de re compositio hujusce substantiae magnopere cum illa sanguinis coagulo comparanda, ubi haematozina et fibrina specialiter alteratae existunt. Nullum ergo dubium e sanguine materiem melanosicam progigni. Sed quomodo hoc evenit? Alteratio respicit haematozinam et fibrinam sanguinis. Haec alteratio autem extat, aut non in sanguine? Quod extet, nequaquam credendum, dum tunc uti in Ictero organismi partes omnes infici deberent, quoniam a sanguine nutritionem hauriunt. Insuper tanta aberratio in san-

guine expedit, ut se prodat phoenomenis morbosis gravioribus quod in melanosi haud occurrit. Si vero ex sanguinis infectione progignitur, cur nam semper non adaugetur, dum ad annos cunctatur? Symptomata ergo quibus manifestatur melanosis, analysis chemica, caussae quibus excitatur, suadent melanosim, nonnisi ex partium in quibus degit aberratione proficisci; ex secretione nempe abnormali ab ipsis effecta, principia directe e sanguine hauriendo, et haematozinam nec non fibrinam speciatim alterando; et prae peculiari textuum dispositione irritationis aut phlogoseos in gratia evenire potest. Quod quidem adsertum aliquo saltem modo probare possumus, observationes nonnullorum neotericorum speciatim perpendendo; quibus constat, una cum phlogisticis conditionibus melanosim organismum infestare. Cadaverum autopsia preterea nos docet, in textubus melanosi adfectis, non dubia extare signa pregressae inflammationis. Rationi ergo consonum videtur melanoseos causam proximam, in speciali irritatione aut phlogosi textus cellularis, membranarum serosarum, et mucosarum consistere; qua ista organa in specialem nituntur secretionem, cujus producto principia solida sanguinis utique inaunt; sed alterata relate ad fibrinam et ad haematozinam.

Ubi melanosis sub cute aut textu subcutaneo

extat, morbum statuit minime periculosum; verum ubi magnopere interna viscera infestat ad ipsos conducit exitus uti scrofulae faciunt: ad hydropes nempe, ad atrophias, ad colliquationes. In mortem nunquam melanosis finem habet per se, nisi aliis morbis adsocietur; (sicuti ut plurimum accidit) aut propter humorum quantitatem et volumen, praecipuas impediat organorum functiones.

Morbus cujus aetiologia tenebris adhuc obvoluta fere sistit; de quo ob rarissima quae extant exempla, parvae hucusque adsunt medicorum observationes; quaenam auxilia therapeutica ut devincatur exposcet? Ex premisso autem quod sub initio saltem, irritatio vel phlogosis in causa sistant hujusce morbosi producti, prima videtur et magis rationalis indicatio irritationi aut phlogosi mederi, e quibus materies melanosica gignitur; porro illa usurpare remedia, quae materiei absorptioni favent. Variare praeterea debet selectus medicaminum juxta schema diversum, sub quo melanosis se se exhibet. Auxilia contra *icterum* et *scrofulas* recensita, uti videbimus, nostro casui quoque accommodari possunt.

Magis ictero similis est melanosis ubi fluida materies effunditur, et totam aut pene totam corporis superficiem, uti ipse icterus defoedat. Hinc binae exurgunt indicationes, conditioni nempe

pathologicae morbum sustinenti obviam venire, eodemque tempore humorem per totam corporis superficiem diffusum aliqua per colutoria derivare; quibus indicationibus satisfaciunt sub initio antiphlogistica, uti purgantia eccoproctica, decocta quoque antiphlogistica solventia, et huic scopo respondere possunt praeparata de manna, thamarindo, sales medii, rabarbarum, decocta radicum graminis, cichorei, taraxaci, et similia. Hisce auxiliis semper addendum idoneum regimen diaeteticum morbi naturae oppositum.

Monendum vero quod sicuti complicationes ut plurimum graviores melanosi comites habet, tunc therapeutica differre debent auxilia complicationum indoli, graduique respondantia, nam aliquando conditiones speciatim in organis nobilioribus phlogisticae, quae melanosi consociantur, praecipuam medicorum sibi vindicant attentionem. « Swietenius refert melanoseos exemplum duodecim annos perdurantis. Laborans hoc morbo tractatus fuit ab initio succo graminis, verno autem tempore sero lactis et saponibus cum mella mixtis, aestata dein, aquis spadanis. Ob ejusmodi tractamen eger catharsim maximo cum levamine expertus est. Materies corpore ejecta erat fere argillacea et comitata granulis calculosis. Diaeta idonea cum hisce auxiliis in usum vocata, aegrum denique sanitati restituit. »

Morbo scrofuloso aequiparanda melanosis, ubi baccae et tumores se prodant; et tunc nonnisi curam in scrofulis opportunam, laudibus commendare sciremus. Cura ergo talibus instituenda remediis, quae super vegetationem agendo, nimium in cóngulum nisum infringere valeant; solventibus dico, quorum selectus aegrorum constitutioni, morbi aetati, respondeat, oportet. Hoc scopo proponi possunt leniora sub initio inter solventia, uti antiphlogistica, subemetica, et sic porro; transeundum deinceps ad majora deostruentia, ad illa etiam quae aliquo principio venenato scatent, uti cicuta, dulcamara, lactuca virosa ecc.; ad potentissima tandem confugendum ubi nulhus adjumenti haec omnia tentata fuissent, sicuti mercurialia, nec non Jodn ipsius praeparata. Et hoc loci observare fas est, contra hunc morbum vel parvum, vel nullum afferre levamen solventium etiam potentissimorum usum interdum; (quae praxis damnosa ut plurimum quoque evadit, nisi summa adhibeatur prudentia) dum contrarium contingit, si externe buccis, tumoribusque melanosicis admoveantur. Merito ergo in usum trahi possunt unguentum neapolitanum, unguentum mercuriale Joduratum, illud quoque confectum ex hydriodate potassae et axungia porci; dosis semper caute metienda, a parva incipiendo medicaminis quantitate eamque adaugendo, juxta

individui tollerantiam. Si hisce presidiis debitum adjungatur regimen diaeteticum, aliquando fors nostri conatus felici coronarentur eventu.

Tumores autem melanosici tum simplices, quam compositi, solitarii, parum numerosi, externi, manu chirurgica extirpari possunt, uti exemplum offert Dupuitren (1) « de quadam femina » loquens, quae cum jam ab anno tumore in » pede afflictaretur, contra solvens quodvis tra» etamen pertinaci, feliciter convaluit post tumo» ris ejusdem extirpationem; qui tumor mate» rie melanosica plenus adparuit. »

(1) Journal compliment. art. Melanos.

Finis.

THESES DEFENDENDAE.

1.ª

Vera phthisis, aut pulmonalis aut trachealis, curam excludit radicalem.

2.ª

In errore versantur qui credunt astra nequaquam hominum sanitati aut morbis influere.

3.ª

Vitae longevitas haud sufficiens praebet argumentum, ut de loci salubritate judicetur.

4.ª

Morti vere dynamicae ratio ipsa reclamat.

5.ª

Metus contagionis recipiendae receptivitatem pro contagii actione auget.

6.ª

Animi pathematum influxus in organismum perraro deprimentem sic dictam exerunt actionem.